



Commentaria Ac Disputationes In Primam Partem Divi Thomae

Cvm Variis Indicibvs

De Deo Effectore, Creaturarvm Omnivm Tractatvs II. De Opere Sex
Diervm, Ac Tertivs De Anima

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1622

VI. Quibus rebus ad vitam coseruandam homines in statu innocentiae
vterentur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93575](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93575)

iuxta D.
Thomam.

nes, quas in statu innocentie non haberet. Nunc enim non solum carent pueri usu rationis, sed etiam patiuntur inordinatos motus phantasie, quibus interdum turbantur, & tristantur, unde fletus, dolores, motusque iracundie, & alij similes oriuntur: quibus omnibus imperfectionibus in statu innocentie carerent. Et ideo dixit D. Thomas d. q. 101. art. 2. ad 1. quod licet paruuli in illo statu non haberent rationis usum: nihilominus in ipsamet puerili cognitione maiorem perfectionem haberent, utique per originalem iustitiam, ut c. sequenti explicabimus. Atque hæc quidem doctrina vera est: an verò illam in dictis locis Augustinus intenderit, valde dubito. Crediderim tamen illum non asserendo, sed disputando processisse, ut de perfectione corporum dixi.

Expediatur
responsio.

13

Respondetur
tandem ra-
tionibus ab
Augustino
indicatis in
favorem
propositionis
minori.

Necessarium tamen est rationibus dubitandi, quas Aug. indicat, satisfacere. Vna est, quia mentis tenebræ, & ignorantia sunt poena peccati: nulla autem videtur esse maior ignorantia, vel mentis cæcitas, quam carentia usus rationis. Recte autem responderet Magister. D. Thomas, & omnes, propriam ignorantiam esse peccati poenam, non autem omnem carentiam cognitionis, vel quam appellant nescientiam, esse poenam, sed esse posse conditionem naturæ, etiam bene institutæ. Propria enim ignorantia dicit carentiam scientiæ, quam quis possit, & deberet habere: hoc autem modo carentia usus rationis in pueritia, non est ignorantia, sed pura nescientia: & ideo esse posset in statu innocentie sine peccato. Et ob eandem rationem non potest ille naturalis defectus, cæcitas mentis, aut tenebræ appellari: quia hæc voces etiam significant priuationem, & in malam partem ordinari solentur pro carentia spiritalis, seu intellectualis luminis aliquo modo voluntaria, & ex peccato proveniente. Ad confirmationem autem, quam D. Augustinus ab exemplo Adami sumit, recte etiam responderet D. Thomas non esse similem rationem. Quia Adam ab ipso Deo immediate creatus est, cuius opera sunt perfecta, & creatus est in adulta ætate, in qua non solum erat capax usus rationis, sed etiam erat illi debit, fuissetque propriissima, imò monitrosa ignorantia, si tali usu careret. Ac demum constitutus est in principem, & caput totius naturæ: & ideo non solum cum usu rationis, sed etiam cum perfectissima sapientia creatus est, ut supra vidimus. Hæc autem rationes omnes in filiis eius locum non habent, ut est per se notum.

CAPVT VI.

Quibus rebus ad vitam conservandam homines in statu innocentie vterentur.

Diximus de perfectione corporali proles in statu innocentie generandæ: & ideo priusquam de spiritali dicamus, opportunum videtur, reliqua, quæ ad corporalem vitam pertinent, expedire, quæ duo sunt præcipua: vnum est, conservatio vitæ: aliud est status, seu modus transigendi vitæ. Circa primum, præcipuum dubium est, an homines in statu innocentie carnibus vescerentur. Quibus enim, scilicet, victu, & vestitu, in hac mortali vita indigemus, iuxta illud Pauli 1. Tim. 6. Habentes vestitum non alimentis, & quibus regamur, his contenti sumus: in statu autem innocentie non indigerent homines vestimentis, quia iustitia originali sufficienter tegebatur, ut in superioribus dictum est, indigerent autem alimentis, quia licet haberent corpora suo modo immortalia per extrinseca adiumenta: nihilominus haberent corpora animalia, quæ naturali ordine, ac modo generari, nutrir, crescere, & conservari deberent, quod sine alimentis non fit.

Vestitum non
esset opus in
statu inno-
centie.

Ideoque explicandum superest, qualibus cibis vterentur homines in illo statu. In quovis tamen distinguendum est inter infantes, & adultos.

Et de infantibus statuendum est, usque ad certum tempus ætatis, in qua solidiora corporis membra habuerint, alendos, ac sustentandos fuisse lacte matris, sicut nunc nutriuntur. Hic enim modus alimenti naturalis est infantibus parvulis, quibus lacte opus est, non solido cibo. Ergo idem modus in illo statu servaretur. Ex regula sæpe repetita, quod naturæ ordo servandus in illo statu esset in his, quæ nec poenalia sunt, nec privatiui imperfectionem in tali natura, & persona, ac tempore includunt: nec supernaturaliter immutanda fuisse reuelatum est: talis autem est, ille nutriendi modus.

De adultis etiam certum est, fructus arborum, & seminum terræ futurum fuisse communem cibum illius status. Hoc enim præcipue nobis reuelatum est Gen. 1. 11. illis verbis, *Eccce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram, & vniuique lignum, quod habent in semetipsis seminem generis sui, ut sint vobis in escam.* Quæ verba dicta sunt hominibus ante peccatum, unde maxime pro statu innocentie dicta sunt. Et cap. 2. dixit Deus Adæ, *De omni ligno paradisi comede, exceptitque solum lignum scientiæ boni, & mali.* Ergo tantum superest dubium, an etiam carnibus tunc vterentur. Et consequenter potest inquiri, an vterentur pane, siue triticeo, siue alterius speciei, seu graui proprie sumptuosius, artificiosè confectis, & coctis, sicut nunc illo utimur. Et eadem ferè interrogatio est de usu vini ex quacunque materia expressi. Sed hæc accessoria sunt, & obiter definiuntur: nam etiam ab authoribus non disputantur, sed per occasionem attinguntur, ac breuiter definiuntur.

Circa principalem ergo questionem de usu carnis D. Thom. 1. p. q. 96. art. 1. ad 3. solum docet, homines in statu innocentie non indiguisse animalibus ad cibum: quia fructibus lignorum paradisi sufficienter alerentur. Inde verò omnes collatunt, non fuisse futurum carnium usum in illo statu. Estque hæc sententia communis antiquorum Patrum, Basilij, Bedæ, & aliorum in Gen. 1. 11. Nicen. in quaest. sac. q. 24. ex Nemesio de natura hom. cap. 1. Abulen. in c. 33. Gen. q. 228. aliorumque Theologorum sine contradictione. Sumptaque est ex verbis Gen. cap. 1. & 2. supra citatis: quibus Gen. Deus hominibus concessit herbas terræ, & fructus arborum in cibum. Nam tacendo de carnibus, illas excludere videtur. Accedit, quod Gen. 9. specialiter concessit Deus hominibus carnes in cibum, dicens, *Omnis quæ movetur, & vivit, erit vobis in cibum.* Vbi in speciali concessione significat, antea non fuisse id hominibus concessum. Et magis explicatur, cum additur, *Quasi olera viriditas dedi vobis omnia.* Ac si diceret Deus, hæc tenus sola olera viridia vobis concesseram, nunc animalia etiam vobis in cibum præbeo. Si ergo usque ad illud tempus non est data facultas hominibus edendi carnes, multo minus concessa fuit Adæ & Euv. in innocentie statu: ergo nec eorum posteris licuisset in illo statu, si duraret.

Contra hanc verò communem sententiam tria obijci possunt. Primum est, quia ex concessione positiva facta hominibus in principio creationis, contra cetera. Ecce dedi vobis omnem herbam, &c. vel, *Ex omni ligno paradisi comede*: non recte inferitur exclusio, scilicet, tantum ex herbis, vel fructibus arborum comede. Tum quia illatio non est formalis, ut per se constat, nec ratione materiæ dici potest virtualis, quia potuit Deus ob aliquam rationem specialem illos cibos exprimere, etiam si alios non prohiberet, nempe, ut indicaret, eas res, quæ & facillimè obtineri possent, & ad sustentandam naturam essent sufficientissimæ, etiam si alia non decissent, neque essent pro-

prohibita. Tum maxime, quia alias ex verbis illis colligeretur, non solum homines, verum etiam animalia bruta non potuisse carnis vesci ante peccatum Adæ, quod verisimile non est, vt D. Thomas dixit. Sequela probatur, quia cum dixit Deus, Ecce dedi vobis omnem herbam, &c. non dixit tantum, vt sint v. b. in escam, sed addidit, & cunctis animalibus terra, omnique volucris celi, & vniuersis, que mouentur in terra, in quibus est anima viuens, vt habeant ad vescendum. Igitur non pro solis hominibus, sed etiam pro omnibus brutis facta est illa positiua concessio: ergo si respectu hominum illa habet virtutem exclusiua, eandem habebit respectu brutorum, nam est eadem ratio, ac proinde etiam bruta animalia carnis non vellentur, quod verisimile non est.

Secunda difficultas est circa alterum locum Gen. 9. quia si firmum esset argumentum ab illo desumptum, sequeretur, non solum in statu innocentie, sed etiam post peccatum non fuisse hominibus licitum vsum carnis vsq; ad diluuium. Consequens autem non admittitur a probatis Theologis: ergo inde non sumitur argumentum validum. Sequela probo, quia si in concessione herbarum in cibum includitur prohibitio carnis: etiam in concessione carnis tali tempore facta includitur reuocatio prohibitionis priorib. temporibus facta: vel certe, si in priori loco concessio ad vnum genus rerum limitata, est exclusio alterius, inde consequenter intelligitur, prohibitionem illam durasse quandiu prior concessio fructuum terræ ad carnes animalium extensa non est: sed illa extensio non est facta vsq; ad tempus post diluuium: ergo vel vsque ad illud tempus prohibitio durauit, vel certe nunquam fuit, etiam pro innocentie statu.

Tertio ratione obijcio, quia vt usus carnis esset licitus, non erat necessaria specialis Dei concessio, sed ex natura rei est licitus, nisi à Deo interdictus ostendatur, sed non inuenitur prohibitio etiam pro innocentie statu: ergo. Consequentia clara est. Et minor in prioribus obiectionibus est probata. Maior autem probatur, quia seclusa Dei prohibitioni speciali, & positiua, nulli apparet principium, ex quo usus carnis fuerit aliquando malus, etiam si non fuerit specialiter à Deo concessus. Hæc enim concessio ex duobus tantum principijs posset esse necessaria, scilicet, vel quia sine illa esset contra iustitiam occidere animalia ratione dominij Dei, sine cuius voluntate animalia occidere, esset alienam rem rapere, vel destruere, vel quia esset contra temperantiam, quia foret contra salutem, sicut esset comedere carnes crudas.

Neutrum à istorum dici potest. Non quidem primum, quia, vt supra dictum est l. 3. c. 16. homo ex natura rei, seu ex vi rationis naturalis, & sine speciali donatione Dei habet dominium omnium animalium, brutorum, nisi aliqua lege Dei prohibeatur: ergo non est contra iustitiam Deo debitam animalia bruta occidere. Antecedens probatur à priori à D. Thoma, quia bruta animalia sunt ex natura sua ordinata ad vsum hominum: & ideo illi etiam sunt naturaliter subiecta. Vnde dixit Aug. l. 1. de Ciuit. c. 20. Iustissima ordinatione creatoris vita, & mors animæ rationalium nostræ vsibus subditur. Vbi per iustissimam ordinationem, non legem aliquam Dei positiuam, aut specialem concessionem naturæ additam: sed ipsam legem naturalem intelligit, per quam hoc homini liceret, etiam si nullam Dei revelationem, aut concessionem haberet. Deinde confirmatur à posteriori, quia non solum est licitum homini occidere bruta animalia propter cibum, sed etiam recreationis causa. Et sic dixit Aristot. 1. Polit. c. 5. venationem ex natura rei esse licitam, vtique per se loquendo, seclusa prohibitione iniuria, vel humana: vel damno tertij, vel scandalo.

Statu de opere sex dextrum.

lo, vel alia indecentia: ergo signum est, sine speciali concessione Dei facta propter cibum, vel aliam utilitatem, ex natura rei vitam, & mortem brutorum animalium esse sub hominum dominio: ergo ex vi iustitiæ in ordine ad Deum nunquam fuit prohibita imperfectio animalium; vt in hominum cibum apta fierent.

Nec etiam propter temperantiam erat necessaria illa Dei concessio, quia carnes animalium de se sunt conueniens cibus hominis: imò maxime naturalis, & aptus ad sanitatem, & vires hominis conservandas, imò & reparandas: vnde dari solet ægrotis, etiam quando illis antea non vellebantur. Et confirmatur, quia aliter etiam nunc usus carnis esset malus: quia quod ex natura rei est contra temperantiam, & ideo est malum, semper est malum. Consequens autem contra fidem est vt ostendit D. Tho. 1. 3. q. 102. a. 6. & 2. 2. q. 64. a. 1. cum Aug. sup. c. 1. & l. 6. cont. Faust. ca. 4. & seq. vsque ad 75. Superest ergo, vt seclusa speciali concessione Dei usus carnis à principio fuerit licitus: ergo, quod Deus res alias in cibum expresse concesserit, non obstat, quominus etiam licitus sit usus rerum non expresse concessarum, quando alias sine tali concessione de se est licitus.

Probatur hæc vltima consequentia tum primis duabus obiectionibus: tum etiam, quia illa concessio fructuum terræ in cibum facta Gen. 1. & 2. non ideo facta est, quia esset necessaria, vt liceret talis usus, quia quod de animalibus diximus, multo magis de plantis procedit: nam herbe, arbores, &c. non minus sunt sub naturali dominio hominis, quam animalia. Ergo illa declaratio solum propter instructionem, vel aliam similem causam facta est, non propter necessitatem: ergo inde colligi non potest alia ibi non expressa fuisse prohibitio. Et confirmatur, quia licet Deus nihil de facultate comedendi ex fructibus, hominibus declararet, ipsi solo discursu rationis ducti, possent licite de illis comedere, & pari ratione possent carnis vesci: ergo quantum Deus fructus terræ, & arborum specialiter proposuerit, quia illi tunc hominibus sufficiebant, nihil de carnis peculiariter prohibuit. Vnde D. Thomas sup. non dixit, non licuisse hominibus vsum carnis: aut eos non potuisse illis vesci, sed tantum dixit, homines illi non indiguisse, quod valde diuersum est. Neque ex eo, quod homines non indigissent carnis, sequitur, non fuisse vfuros illis, aut non potuisse sine peccato illis vesci: multis enim rebus vtimur, etiam sine peccato, quibus non indigemus.

Nihilominus à communi sententia recedendum non est, quamuis enim ex Scriptura euidenter non conuincatur, est valde conformis illi: & illa resolutio adiuncto discursu rationis, efficaciter potest ex illa colligi. Tria ergo vel quatuor de hoc vsu distinguenda sunt, scilicet, an fuerint aliquando de facto in Paradiso. An fuerit necessari? an fuerit specialis, ac positiua lege prohibitus: an vero ex natura rei fuerit illicitus supposito illo statu. Ac denique, an foret in illo statu, si homo non peccaret. De primo certum est, primos homines de facto non comedisse carnes in Paradiso. Nam in primis, aliter opinantur, homines ante cibum vetitum nihil comedisse in Paradiso. Veruntamen hoc in fine præcedentis libri obiectum est. Probabilius enim indicauimus primos parentes in Paradiso ante lapsum comedisse: quia non tam brevis habitatio eorum in Paradiso ante peccatum fuit, vt oportuerit ab omni cibo eos abstinere toto illo tempore. At vero ex verbis Eux, De omni ligno Paradisi vescimur, non sine probabilitate colligitur, tunc solis illis fructibus vfos in cibum fuisse. Quod etiam comprobant verbi Dei, quibus de cibis ipsis in cibum concessis eos instruxit. Neque est verisimile,

9
Nec etiam
esset contra
temperan-
tiam.

12
Concluditur
in 3. obie-
ctio.

Confirm.

11
Communis
illa resolutio
per 4. pro-
nuntia e-
nucleatur.
Consule et-
iam Motin.
de iustitia
commutat:
tra; diff. 4.
Pronun-
tatum non
recte ex quo-
rundam o-
pinatione o-
stenditur.

Restitutio col-
ligitur ex
verbis Eux
& Dei.

2. simile,

mile, in tam breui tempore de esu carniū, vel cade animarum cogitasse, siue licitum id fuerit, siue illicitum.

12 De secundo etiam certum est, non indiguissē primos homines vsu carniū in Paradiso, etiam si diutissime in illo viuerent, & in hoc sensu carniū vsu non fuisse in illo statu necessarium.

Probatur ex verbis Dei.

Declaratur ratione.

Hoc maxime docet D. Thomas, & plane conuincitur verbis Dei, qui fructus arborum in cibum preparauit, & illos tantum, tanquam sufficientes illis obtulit, seu concessit. Et declaratur in hunc modum: quia cibus tantum est necessarius, vel ad vitam, & corporis vires conseruandas, vel ad repandum quicquid per continuam nutritionem de primæua corporis constitutione imminutum fuerit. Sed primum sufficienter præstabant fructus arborum Paradisi, in quo produxit Deus, vt Scriptura dicit: *Omne lignum pulchrum visu, & ad vescendum iuuat*: ac proinde multo magis vtile, facile, ac salubre, nam opera Dei perfecta sunt. Secundum autē conferebat fructus ligni vitæ: vt in superioribus declaratum est. Ergo ad nullum effectum, vel naturæ commodum, vel rationi consentaneum erat esus carniū necessarius. Nam propter solas delicias, aut voluptatem illum appetere, non est rationi consonum: ac subinde non solum non necessarium, sed etiam ab illo innocentie statu alienum.

13 Tercio, hunc sit valde credibile, in statu innocentie non fuisse licitum, & honestum esum carniū: non quidem ex speciali prohibitionē politia Dei, sed ex ipsa lege naturæ, supposito tali statu eiusque sufficientia, & abundantia absque carniibus. Prima pars probanda est ex tertia. Secunda autem partem negantem politiuam prohibitionem Dei, mihi probat tertia obiectio supra facta. Quia tale præceptum prohibens non inuenitur expressum: & ex sola concessione fructuum terræ in cibum non satis colligitur, vt in dicta obiectio declaratum est: & in responsione ad primam magis explicabitur.

Vnde probatur primum membrum.
Vnde probatur secundum.

14 Nihilominus declaratur, & probatur pars tertia, quia licet esus carniū per se, & ex natura rei non sit malus respectu hominis in sua pura natura, considerati nihilominus in tali statu, vtiq; integritatis naturæ cum originali iustitia, & omnibus privilegijs, & circumstantijs eius, fuisset inordinatus carniū vsus. Ratio est, quia in illo statu habebat homo à Deo parata alimenta optima, & maxime proportionata, & conuenientia corpori perfecte temperato, quale tunc habebat, & constituto in loco amœnissimo, in quo purissimo aere, & optimis influentijs celestibus fruebatur: ergo superuacaneum, & inordinatum esset carnes animalium in cibum querere. Quia nulla ratio nisi gula, vel superflua voluntatis ad id mouere poterat. Accedit, quod fructus arboris sine sollicitudine, & sine impuritate haberi poterant, carniū vero vsus, nec sine labore, & cura obtineri, nec sine sordibus, & vilibus actionibus parari poterat: indecorum ergo fuisset talem vsu in illum statum introducere. Præterea prudens, & rationabilis ciborum vsus non solum ad vitam conseruandam, sed etiam ad virtutem fouendam: & ad moderandas inclinationes, & motus appetitus ordinari debet: ad hunc autem finem multo erant aptiores cibi ex fructibus arborum, quam ex carniibus animalium: ergo secundum rectam rationem præferri debebat in illo statu. Nam licet in illo appetitus esset perfecte subiectus rationi, & corpus animæ: nihilominus hæc ipsa subiectio, & rectus ordo per conuenientia media, prudentique obseruatione, ac studio ab ipso homine abhibito conseruanda erat. Vnde etiam ad immortalitatem, & impassibilitatem status, hoc erat conuenientissimum: quia

15 vt supra dixi, non sine hominis industria, & cooperatione illa impassibilitas conseruabatur. Denique finis illius status (vt infra dicam) præcipuus erat, vt homines contemplationi Dei, & operum eius, & acquisitioni meritorum, ac scientiarum vacarent: ergo alienum à recta ratione esset, in præparandis cibus carniū homines tunc occupari sine vlla corporis necessitate: quia sine magna distractione animi, & eius auocatione ab studio rerum celestium fieri non poterat. Quamuis enim aliqui vti possent cibus ab alijs preparatis sine huiusmodi impedimento: nihilominus in illa communitate, vel ergo illa fuisset mortalitas, & consequenter per illam amitteretur iustitia, ac proinde iam non esset talis vsus in statu iustitiæ, sed in statu peccati, & lapsæ naturæ: vel talis vsus fieret tantum cum veniali peccato: quod magis videtur probare omnia, quæ considerauimus: & hoc satis est, vt talis vsus in illo statu esse non poterit, in quo venialiter peccari non poterat, vt supra ostensum est. Et præterea seclusa consideratione culpæ, est valde probabilis coniectura, quia homines tunc non mouerentur in actionibus suis ab inordinata concupiscentia: sed ex aliquo motu rationis, nullum autem occurrere poterat, quod ad carniū esum excitaret. Nam sciebant, ad sustentationem vitæ, aut ad conseruandum vires, & robur corporis, sibi non fore necessarium: nec propter delectationem solum moueri poterant: tum quia non esset honestum, tum, quia cum non essent experti delectationem talium ciborum, non poterant multum ad illius desiderium sola intellectus cogitatione excitari: tum etiam, quia fructus arborum ad ordinatam voluptatem sufficienter dabat Deus ligna Paradisi pulchra visu, & ad vescendum suauia vique, vt credibile est, cum mira varietate, & abundantia: ergo non erat, cur propter solam sensibilem delectationem homines recte compositi, & concupiscentijs carētes carnes appeterent. Non fuisset ergo in illo statu talis vsus.

Vnde vterius colligi potest, neque panis, neque alterius cibi arte confecti, imo neque ouorum, aut lactis animalium brutorum, & aliarum rerum, quæ ex lacte fiunt vsu in dicto statu fuisse futurum. Hæc enim omnia sub illa ratione comprehenditur, quod nec necessaria fuissent, nec sine aliqua sollicitudine, & superflua cura, & distractione pararentur, vel procurarentur. Idemque dicendum est de vini vsu, in quo parando, & conseruando maior labor, & occupatio necessaria fuisset, & in vsu eius maius periculum inueniretur, minorque necessitas. Quia Paradisi aquæ, quas optimas fuisse credendum est, ad subueniendum tali corporum indigentia: essent sufficientissima: tum propter corporum sanitatem, ac temperantiam: tum etiam, quia saluberrimæ, ac suauissimæ fuissent.

Circa id vero, quod de vsu panis, & vini diximus, dubitare quis potest, quia videtur hinc destrui opinio dicentium, non peccante Adamo fuisset sacramentum Eucharistiæ in statu iustitiæ. Quam nos in 3. tom. 3. part. disp. 3. scilicet. de panis. 3. maxime probabilem iudicauimus. Et eam seculum 3. Metaphysic. lib. 6. cap. 2. q. 6. tenetur esse Fonseca tom. 3. Metaphysic. lib. 6. cap. 2. q. 6. tenetur esse. Respondet verò potest, vel ad hunc statum

SVARE 2
de Angelis,
in 6. d. d. rum,
anima.

D. N. 2

erum vsum potuisse tunc sine labore panem, & vinum confici: vel (quod magis placet) potuisse quidem tunc Sacramentum illud institui ex alia materia: solumque conveniente cum nostro Sacramento in reali presentia Christi sub aliquibus speciebus, & in gratia effectibus: quorum ratione nomen Eucharistiae optime in illud conueniret.

Ad primam ergo obiectionem iam ferè respondit: fatemur enim, in verbis Dei allegatis, non contineri expressam prohibitionem elus carniū nihilominus ratione materiae, supposita illius status maxima perfectione, inde colligi prohibitionem, non quidem ex lege positua Dei prouenientem, sed ex ipsa rectitudine rationis, vt explicauimus. Neque inde inferri potest, illam prohibitionem, nunc etiam manere, eo quod lex naturalis nunc daret, quia immutabilis est. Nam est hoc verum supposita identitate materiae, non vero facta in rebus ipsis varietate. Nam ipsa naturalis ratio aliud dicit agendum in vna occasione, & aliud in alia: vt tempore necessitatis, vel abundantiae, agnitudo, vel sanitatis, vt est per se notum.

In secunda vero probatione in eadem obiectione addita, petitur incidens dubium, an hominem non peccante alia bruta animalia carnis vescerentur. Nam multi constanter id negant, quorum princeps videtur Basilus hom. 15. Exaem. & sequitur Beda, quem excusare voluit D. Thomas, quia super Genes. cap. 1. id non dicit, tamen id expresse habet in Exaem. circa finem. Et indicat Rupert. lib. 2. in Genes. cap. 10. dicens: *Contenta fuisse hominibus, nisi consuetudine gula tam in hominibus, quam etiam in bestis soluta creuisset edacitas.* Latius id tradit Abulens. in 13. cap. Genes. q. 272. & late pugnat pro hac sententia Tornellus in 1. tom. Annal. etate 1. die 6. & sequitur Perer. lib. 4. in Gen. circa finem in disp. ad versum 29. & citat. Ioseph. i. Antiquit. 1. Omnesque nituntur in verbis Genes. in obiectione inductis. Adduntur etiam coniecturae. Prima, quia incredibile est, prouidentissimum Deum ceteris animalibus omnibus cibos preparasse, & pro animalibus terrestribus nihil prouidisse. Secundo quia, si animalia tantum bina creata sunt in singulis speciebus, sequitur, lupum, v.g. vel multo tempore cariturum fuisse cibo, vel consumpturum ouem, priusquam generare potuisset. Tertio, quia in arca Noe haec animalia sustentabantur sine usu carniū: ergo verisimile est, antea assuetum fuisse cibo, seu pastui herbarum. Et iuxta sententiam hanc, quae valde probabilis est, expedita relinquatur obiectio facta: conceditur enim sequela, nimirum, etiam bruta non comedisse carnes, quandiu Adam non peccauit: non quia illis proprium praecipuum impositum fuerit, cum illius non essent capacia: sed quia Deus ita omnia ordinauit, vt etiam animalia terrestria pabulo herbarum essent contenta, & alios cibos non appeterent.

Nihilominus D. Thom. d. q. 96. artic. 1. ad 2. contrariam sententiam tam constanter affirmat, vt praecedentem irrationabilem vocet: quo loquendi modo rarissime vsus est. Et illam secutus fuerat Abulens. in cap. 1. Gen. q. 3. Et idem sentit Caiet. ibi & Vitell. fundamentum huius sententiae esse debet, quia prior sententia multum repugnat rationi naturali: & Scriptura non cogit ad illam asserenda: ergo sine causa, vel ratione asseritur. Et in hoc forte sensu D. Thomas illam vocauit irrationabilem. Maior probatur: quia proprii quidam instinctus ita sunt naturales quibusdam animalibus, vt sine veluti propriae passionis inseparabiles ab eis, vel omnino, quantum ad actum primum, nisi priuenter naturalibus potentijs, vel sensibus intermis, vel secundum potentiam ordinariam;

Summa de opere sex dierum.

quantum ad actum secundum: quo interdum per supernaturalem, vel extraordinariam Dei prouidentiam priuantur. Huiusmodi autem sunt in primis naturales (vt sic dicam) inimicitiae, & dissidia inter quaedam animalia, vt inter selem & canem, vel etiam felis ad murem, lupi ad ouem, accipitris ad columbam, aliasque minores aues, & sic de alijs. Deinde appetitus comedendi carnes est multis animalibus valde naturalis, vt videre licet in animalibus terrestribus, leone, lupo, & alijs ferocibus: imo etiam in cane, & aliquibus domesticis. Item in auibus, falcone, miluo & similibus. Imò inter volatilia inuenimus, quae naturaliter aluntur solis piscibus, quos naturali industria capiunt, vt se, & filios suos sustentent. Alia vero morticinis vescuntur, vt corui, &c. Et inter pisces, minores esse solent naturalis cibus grandium. Non est autem verisimile, aut has multiplices inclinationes ortas esse in animalibus ex peccato hominis, aut fuisse perpetuo frenandas, veluti quadam originali iustitia, quandiu homo non peccaret.

Iam ergo probatur altera pars, seu minor principalis fundamenti, in quo vis vtriusque sententiae sita est. Nam si Scriptura non posset commode aliter intelligi, paripendenda esset ratio: si autem Scriptura alium commodum sensum habet, praefenda est ratio facta: quia sine dubio vrgens est. Dicit ergo in primis potest, non loqui Scripturam in vniuersum de omnibus animalibus brutis sed de his, quae herbis, & fructibus pasci naturaliter solent. Et hoc responsum indicat D. Thomas dicens, Bedam non fuisse locutum de omnibus animalibus, sed de quibusdam, nam a fortiori hoc de Scriptura intelligit. Sed inuitatur, quia Scriptura non vnam tantum, sed plures distributiones multiplicat, dicens: *Veni vobis in escam, & vniuersis a nimantibus terrae omni, quae volucrici, & vniuersis quae mouentur in terram, & in quibus est anima viuens.* Quis ergo audeat tot vniuersales locutiones ad quaedam animalia limitare? Sed nihilominus sine vi, aut improprietate dici potest, illa omnia verba intelligi quidem vniuersaliter, vt profertur, sed cum distributione accommodata iuxta materiae capacitatem. Ita vt sensus sit illos terrae fructus datos esse ad sustentanda omnia animalia, quae naturaliter talem cibum appetunt, & illo indigent.

Cum vero contra hoc instatur, quia hoc modo prouidentia diuina animalibus carniuoris defuisset. In contrarium replicatur: quia etiam potest Deus argui quod improuidus erga pisces fuisset, nullibi enim legimus aliquid eis in cibum concessisse. Cum ergo prouidentia Dei non in verbis consistat, sed in factis, potuit optime tam piscibus quam feris, vel rapacibus animalibus sufficientissime prouidere cibum, producendo varia rerum genera, & dando illis animalibus talem instinctum naturalem, & vires, vt sapiant, & quae aut a Deo essent sibi. Cur autem in quibusdam declarauerit cibum, quem illis parauerat, potius, quam in alijs, pertinent, ad liberam Dei voluntatem, cuius rationem non semper reddere possumus. Posset autem fortasse non improbabiler considerari, Deum in illis verbis, non ad ipsa animalia bruta, sed ad homines principaliter fuisse locutum. Ideoque in alimentorum sufficientia prouidentiam suam erga homines explicando, illa simul animalia commemorasse, quae vel sub cura hominis futura erant, vt sunt domestica: vel ad vtilitatem, vsum, vel commoditatem hominis pertinent: quia pecularis cura talium animalium ad integram prouidentiam erga ipsum hominem quodammodo pertinet. Huiusmodi autem animalia esse videntur, quae herbis, & fructibus terrae aluntur. Quae consideratio mihi sane non improbabilis apparet.

Z 2 Non

21
Probatio
minoris.

Instatur etiam
tra hanc
probationem.
Occurrit
proxima instantia.

22
Instantia
alio aqua
est i. com-
est ex al-
latum n. 19
expeditur.

Expeditur
secundo.

23
Expediatur
tertio ex
Caietano.

Non displicet autem, quod vltimus Caiet. addit, nullum esse animal, quod non possit herbis, aut fructibus vesci, & illis sufficienter sustentari. Quod suadet argumento facto de arca Noe, quia non est verisimile introduxisse Noe in arcam carnes, quibus animalia carniuora vescerentur: ergo tunc solis fructibus, vel seminibus terræ omnia animalia fuere nutrita: quia vel necessitas temporis, vel speciei alio tunc diuina gubernationis efficacia efficit, vt etiam animalia carniuora vescerentur vegetabilibus: vt idem Caiet. dixit Gen. 6. in fin. Verisimilius autem est, si ne miraculo ibi sustentata fuisse animalia ex seminibus, vel fructibus, quos Noe in arcam introduxit. Oportuit tamen, vt animalia, quæ naturale inter se disidium habent, vel in locis separatis conseruata fuerint: vel certe, vt diuina virtute mansueta, & pacifica inter se redderentur. Nam hoc consuetudine, & educatione comparari solet, vt experientia docet. Vnde facile potuit modo præternaturali, & in illa occasione necessaria fieri. Idemq; est dicendum ad difficultatem de principio creationis rerum. Nam potuerunt animalia inter se inimica in locis diuersis creati: vt debiliora non possent à fortioribus interfici, donec species rerum sufficienter multiplicarentur. Vel etiam pro aliquo tempore potuit diuinitus ille naturalis instinctus impediri, vel in ea dispositione illorum interiores sensus creare: in qua per consuetudinem componuntur, & mansueta inter se fiunt.

Expediatur
secundo &
tertia.

24
Concluditur
responsio D.
Thomæ ha-
bitus expo-
sita.

Hoc ergo modo facile defenditur, absolute verum esse, Deum dedisse herbas, semina, & fructus pro cunctis animalibus, quamuis non limitauerit, vt solis illis vterentur: neque in hoc aliquorū naturam immutauerit, aut correxerit, seu frænauerit ne carnes appeterent: vel ne discordiam inter se haberent. Atque ita Deus ex parte sua omnibus etiam animantibus terræ sufficienter alimenta prouidit: quamuis aliqui ex peculiari sua naturali propensione alia appetere, & inquirere possint. Quod vero moderni auctores supra citati dicunt appetitum edendi carnes in his animalibus non ortum ex ipsa specifica natura, sed ex temperamento corporis, adiuncta consuetudine: habere quidem potest locum in ipso vsu, quia multum ex apprehensione imaginationis pendet, quæ propter consuetudinem multum immutatur. Nam inde fit, vt animalia naturaliter inimica, vsu, & consuetudine inter se mansueta fiant, quando disciplinabilia sunt, & memoriam habent. Et similiter ex non vsu, seu inesperienza ciborum fieri potest, vt per imaginationem non apprehendantur, vt multum delectabiles: sicut è contrario experientia, & consuetudo in brutis auget appetitum.

Totalis vsus
aliorum ci-
borum suffi-
cit vt bruta
carniuora
suis carni-
bus alerentur.

25
Non tamen
sufficit ad
illud denegā-
dam propen-
sionem So-
randi car-
nis.

Nihilominus tamen negari non potest, quin huiusmodi instinctus in actu primo spectari ex ipsa natura specifica oriantur, vt naturalis quædam discretio inter herbas vtilem, & noxiam: & inter animal contrarium, vel pacificum, & propensum ad esum carniū, vel piscium, vel tantum herbarum: vt, v.g. iumenta, equi, boues, & familia animalia talis sunt naturæ, vt nulla consuetudine videantur fieri posse carniuora: alia vero non solum possunt, sed etiam naturaliter ad hoc sunt propensa. Has ergo naturales proprietates, & propensiones habent animalia, etiam si homines nunquam peccarent. Et ideo credibilius videtur, quod si status innocentie longo tempore duraret, animalia carniū vescerentur iuxta vniuersiusque naturalem propensionem: quia nulla est necessitas excogitandi peculiarem Dei prouidentiam, ad hoc impediendum perpetuo, licet forte in principio creationis pro aliquo tempore id fuerit conueniens. Neque est vlla ratio, quæ suadeat, huiusmodi animalia nunquam fuisse operatura iuxta na-

turalem propensionem, & per solum non vsu illum naturalem instinctum perpetuo futurum esse sopitum, & quasi extinctum, cum ipse sit principium sufficiens ad vsu illum inchoandum, sicut nunc experimur in his animalibus, quando ex solo instinctu naturæ ante omnem vsu operari incipiunt.

In secunda vero obiectione petitur alia communis dubitatio, an homines post lapsum vsque ad diluuium carniū vsi fuerint? Quæ ex alio loco Gen. cap. 9. à paritate rationis oritur, vt proponimus. In illa ergo dubitatione consequenter multi dicunt, vsu carniū non fuisse omnino inter homines ante diluuium. Alij vero dicunt, non fuisse quidem licitum, ac proinde inter Deum timentes non fuisse vsurpatum, licet inter iniquos in vsu esse potuerit. Fundantur præcipue in verbis illis Dei Gen. 9. Omne, quod mouetur, & viuit, erit vobis in cibum, quasi oleum virentia tradidi vobis omnia. vbi Chrysost. homil. 27. ait: Hoc est initium edendarum carniū. Et infra Edendi facultatem concedit, & valde laudes reddit. Et Theod. q. 55. in Gen. Primus (ait) concessit Deus hominibus fructus in cibum: post diluuium autem præiorem cibum illi confort. Beda vero dixit, Hic primo caro manducari imperatur id est, conceditur, nam Deus nunquam dedit positum præceptum comedendi carnes, vt nunc contra hæreticos suppono. Ex dictis ergo verbis colligitur, antea fuisse prohibitum hominibus esum carniū, quia alias superuacanea fuisset hæc Dei concessio. Et huic sententia non parum fauet D. Thom. Rom. 14. lect. 1. in principio & 12. quæst. 101. art. 6. ad 2. Eamque late defendit Tornellus sup. Anno 1657. nu. 11. & 12. licet cum aliqua limitatione, vt infra dicam. Alij vero addunt, non solum homines, verum etiam feras, vel multa bruta animalia non comedisse carnes ante diluuium: quia censent, illam concessionem Dei Gen. 9. licet ad homines directam fuerit, consequenter cetera animantia comprehendisse. Ita docet Basil. hom. 11. Exameron, & Beda in Examer. & Abulen. in cap. 13. Gen. q. 12. & sequenti bus, & sequitur Pereri. d. disp. de hære lib. 4. in Gen.

In hoc puncto duæ quæstiones videntur distinguendæ: vna est, de iure, alia de facto. De iure quæstio est, an fuerit licitus carniū vsus ante diluuium: & hæc quæstio habet locum in hominibus, non in brutis, vt per se notum est. Quæstio vero de facto est, an talis cibū fuerit in vsu in taliprima ætate, & hæc in brutis locum habet, atque etiam in hominibus, siue ille vsus fuerit prohibitus, siue non fuerit. In prima ergo quæstione, probabilis censetur, esum carniū non fuisse illicitum ante diluuium. Ita tenet Caietan. Gen. 9. & Soto libro quinto de iustitia. q. 1. art. 1. quos sequitur Ystella Gen. 9. & refert pro hac sententia Chrysost. Iustinum, & Diu. Thomam: sed immerito. Nam licet isti Patres non dicant fuisse illo tempore illicitum, seu prohibitum vsu carniū, neque etiam dicunt, fuisse licitum: sed solum de facto aliquid dicunt, vt statim explicabimus. Probatur ergo nostra resolutio, applicando, & conuertendo discursum factum de statu innocentie. Quis enim dicit, esum carniū in illo tempore nec fuisse illicitum, nec fuisse prohibitum, quia minus: ergo nullo modo fuit illicitus. Prior pars antecedentis probatur optime argumento facto in secunda obiectione, quam tractamus, proceditque à fortiori, quia in statu innocentie non fuit hic vsus carniū, quia prohibitus: ergo multo minus post peccatum. Item, quia hæc prohibitio nec colligitur ex verbis Dei Gen. 1. dictis, vt ibi probatum est, nec ex verbis Gen. 9. quibus Deus tradidit omnia potestati hominum, vt eis vterentur ad manducandum, si vellent. Nam ex eis colligi non potest,

reft, fuiffe dicta ad tollendam priorem prohibitionem. Potuerunt enim dici, vel ad explicandum magnum beneficium, quod cum ipsa natura hominibus concesserat, quod non obstantibus prioribus peccatis, firmum permanere declarabat, sicut ibidem etiam dixit, *Crescite, & multiplicamini, & replete terram*, quod à principio etiam dixerat, nihilque novum per illa verba concedebat: vel etiam potuit DEVS per illa verba instruere homines, quod in eo statu, peculiari, ac noua ratione esu carnum indigerent, tum quia ipsius naturæ corruptæ vires iam erant multum debilitatæ, tum etiam, quia ipsa terra per aquas diluuij deterior reddita erat: & consequenter fructus eius minoris virtutis ad nutriendum in futuris temporibus futuri erant. Hæc ergo fuit sufficiens causa, vt DEVS, tanquam providentissimus pater, carnes in ordinarium cibum hominibus designaret, etiam si antea non esset prohibitus earum usus.

Altera verò pars antecedentis probatur, quia neque ex vi obiecti esus carnum est malus: nec mera ratione naturali prohibitus, vt est per se notum, & supra num. 7. & 8. & in tertia ratione dubitandi, & in priori discursu probatum est. Neque etiam erat malus ratione status, sicut de statu innocentie diximus. Quia in hoc est apertissimum discrimen inter statum innocentie, & naturæ lapsæ. Tum quia in natura lapsa non habent homines illam rerum, & ciborum sufficientiam, copiam, facilitatem, & bonitatem, quam in statu innocentie habuerunt, semperque habuissent. Tum etiam, quia vires corporis sunt longè debiliores: & appetitus non est ita compositus, & fructuatus, sicut prius: ideoque in hoc statu nunquam fuit per se malum hunc naturalem appetitum exequi. Quin potius est ex obiecto indifferens: & in tali statu facile occurrere poterant occasiones, & rationes ordinandi talem actum ad bonum finem: vel ad reparandas vires egritudine, aut labore debilitatas, vel ad illas conservandas, vel augendas ad fortius laborandum: vel quia interdum possent facilius tales cibi haberi, aut preparari, & car. Explicaturque optimè per statum puræ naturæ, si in ipso crearetur homo, & in hoc negotio suo discursui relinqueretur: nam posset sine dubio licite vesci carnibus quouis tempore, etiam à principio suæ creationis: eadem autem ratio, quoad hanc partem, est de homine lapso.

In secunda verò questione idem censent probabilius Soto, & Ytella, & hic allegat dictos Patres. Sed Chrysostomus in verbis, quæ allegauit ex ead. hom. 27. oppositum indicat. Et similiter D. Thomas ait, quod esus carnum videtur post diluuium introductus, licet exponi possit de ordinario, & frequenti usu, ne sibi contrarius sit. Iustinus verò quæst. 119. ad gent. dicit quidem Abel comēdisse de lacte ouium, adducens illud Pauli 1. Corinth. 9. *Quis plantat vineam, & de fructu eius non edit? Quis pascit gregem, & de lacte eius non manducat?* Quod verò Abel carnes comederit, non declarat. Id tamen videtur apertè sentire Caietanus Genes. 4. vbi etiam adducit Berosum asserentem homines comēdisse carnes ante diluuium. Idem affirmat Rupertus libro 4. in Genes. cap. 30. dicens: *Et si antehac absque illa DEI præcipiente auctoritate hoc homo in cibum præsumpsit (vtique carnes) iam ex hoc vult ante legem, & deinde per legem potestate accepta iure sibi vendicare eam in esum.* Denique etiam Torniel. concedit homines ante diluuium comēdisse carnes, non tamen probos, sed improbos, nec licite, sed grauiter peccando. Et deinde etiam in iustis casum extremæ necessitatis excipit. Veruntamen in quibus-
cunque fuerit hic usus, frustra fingitur peccatum, *Sunt de opere sex dierum.*

præsertim graue, vbi nulla eius ratio, nec positua, prohibito inuenitur. Et sine causa limitat exceptionem ad casum extremæ necessitatis. Cur enim non grauis, vel mediocris necessitas sufficeret. Imò cur non maior commoditas satis superque esset? Illa enim sufficeret, vt actio ex obiecto indifferens propter honestum finem fieret, vt argumentati sumus.

Itaque probabilis est hæc sententia de esu carnum inter homines in illo tempore, licet sit incerta, quia non potest probari ratione sola: & historia de hac re nulla extat, quæ certitudinem faciat: quia Scriptura nihil dicit satis apertè, & alia non solum incerta, sed etiam obscura sunt. Si ergo vtendum est coniectura, verisimile est, carnes, aut pisces in illis temporibus non fuisse ordinarium cibum hominum, præsertim eorum: qui antiquam fidem, & traditionem ita retinebant, vt secundum rationem viuerent, & corporis voluntatibus dediti non essent. Hoc saltem videtur colligi ex facultate à Deo data Genes. 9. per quam explicuit, maiorem fuisse illius temporis necessitatem: Et ideo carnes iam tunc in ordinarium cibum assumi opportunum fuisse. Et ita possunt etiam exponi aliqui Patres, præsertim Chrysostomus & D. Thomas, qui dicunt, carnum usum fuisse post diluuium introductum, vtique ordinarium, & communem. Nihilominus tamen credibile est etiam antea fuisse vsitatum, præsertim ab his, qui voluntatibus corporum magis seruiebant. Quia, vt D. Thomas ait: *Esus fructuum terræ nascentium magis pertinet ad quandam simplicitatem vitæ, & esus autem carnum ad quasdam delicias, & curiositatem.* Vnde per hoc non tollitur, quin talis usus in casibus necessitatis, magisque per modum medicinæ, vel remedij, quam ordinarij alimentij, etiam inter honestiores viros tunc fuerit.

Quod suadet etiam exemplum Abeli iam eo tempore pascētis greges ouium, vt illud inducit, & ponderat Caietan. supra. Et certè, qui concedunt homines tunc lac ouium comēdisse, iam facentur, non ex folijs fructibus terræ nutritos fuisse, & aliquid in cibum introduxisse, quod in statu innocentie in usu non fuisset: cur ergo non credemus carnibus vsos fuisse, etiam licite, ac temperatè, saltem aliquando iuxta occurrentes occasiones, vel ratione necessitatis, aut maioris commoditatis. Id etiam suadet exemplum de venatione, quæ sine dubio recreationis causa fuisset tunc licita, & creditibilis est, fuisse in usu: ergo eadem ratione ob honestam recreationem credibile est interdum de cibis in venatione captis aliquid gustasse. Denique eadem ratione verisimilius est, multa fuisse introducta statim post peccatum in usu ciborum, quæ in statu innocentie non fuissent, vt usus aliquius panis, & usus ignis ad coquendos cibos, & fructus duriore, vt glandes, castaneas, & similes. Ergo idem est verisimile de carnibus.

Et ita obiter responsum est ad argumenta, quæ in contrarium fieri solent, & secunda etiam obiectio ex dictis est sufficienter expedita. Et consequenter etiam responsum est ad obiectionem tertiam, probat enim optimè primam assertionem in hoc puncto positam in num. 27. & non procedit contra priorem resolutionem de statu innocentie propter rationem ibi factam, & propter diuersitatem inter vtrumque statum iam ponderatam. Denique ex dictis à fortiori concluditur, animalia carniuora multo magis fuisse vsa carnibus ante diluuium: præsertim postquam coeperunt esse sufficienter multiplicata. Quia non possent cohiberi sine speciali cura, & providentia Dei, quam fingere superuacuum est.